

QK 522, 14.

II n  
7024

(2)

RECTORE  
ACADEMIAE. MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO. PRINCIPE. REGIO  
**FRIDERICO. AVGUSTO**  
DE  
**FEMINIS. PRIMA. AETATE**  
**ERVDITIONE. AC. SCRIPTIS**  
**ILLVSTR. ET. NOBIL.**  
POSTERIOREM. DISPVTATIONEM. EXHIBENT  
*PRAESES*  
**M. DAVID. SCHVLTETVS**  
**HAMBVRG.**  
ET  
RESPONDENS  
**JOANNES. DIETERICVS. STARCKIVS**  
**LVBECENS.**  
*ANNO. c15 DCC. III. AD. D. X. MART.*  
—  
**VITEMBERGAE. PRELO. GERDESIANO**



1. TITELBLATT  
HISTORIÆ CIVILIAE  
ETATIS ANTIQUÆ  
HABITATIONIS AC SEDIMENTI  
HABITAT. T. M. B.  
T. M. B. HABITAT.  
M. D. V. A. T. M. B.  
HABITAT.  
HABITAT.  
HABITAT.  
HABITAT.



## DEO SECUNDANTE!



Elam, quam priori dissertatione exorsi sumus, in praesenti pertexamus; atque adeo recensendis exemplis, Feminarum prima aetate eruditione ac scriptis illustrium et nobilium, ulterius nostram nauabimus industriam.

*Beltizia GOZADINA, Bononiensis*, virgo fuit eruditissima, quae tantos primis adolescentiae annis in literis progressus habuit, ut merito esset omnibus admirationi. Iuuat ea hoc loco recensere, quae *Hilarion de Costa T. I. Part. 3. in elogis et vita Regum Principumque*, p. 522, de illa refert. *Beltizia*, inquit, *Gozadina*, filia egregii nobilis Bononiensis, cui nomen Amatoris Gozzadini, contemnens colum et acum omniaque exercitia communia sexui muliebri, se dedit studio linguae latinae et iuris, in quibus tantos fecit progressus, ut An. 1532 aetatis suae 32 orationem funebrem latinam habuerit in Templo primario Bononiensi, tempore exequiarum Domini Ludovici Frattae Episcopi istius loci, quam Auditores admirati sunt. Debinc post triennium eadem in

A 2

Vsiver-

*V*niversitate titulo Doctoris Juris insignita fuit, ac deinceps priuatim Institutiones Juris iuuentuti tanta cum laude exposuit, ut tandem ad publicam Professionem vocaretur An. 1539, quo in applausum Studiosorum, magno numero variis ex nationibus eo confluentium, merita fuit. Plures composuit Juris commentarios, qui possea typis impressi prodierunt sub nomine ficto et alieno. Quo vero melius posset incumbere studiis, mansit coelebs, et sine marito.

*I*oanne GRAIA, *Angla*, Ducis Suffolciae filia, Domini de Gilsford coniux, annos nondum septendecim nata, Latinis Graecisque literis bene iam instructa fuit. Testatur Iesuita *le Moyne*, in *La Galerie de Femmes forres* P. II. p. 52. illam adeo exacte locutam fuisse Latine et Graece, ac si Athenis et Romae fuisse, exactissimamque habuisse notitiam liberalium Artium, et partes Philosophiae quasdam intellectissime. Subiungemus illa, quae *Larrettus*, in *Historia sua Angliae, Scotiae et Hiberniae*, Gallice excusa, Tom. II. de ea refert, ex recensione *Sikii et Neocori* Biblioth. novor. libror. An. 99. p. 207. Eduardi Regis erat aequalis, et una cum illo educata fuerat; quemadmodum etiam indolis et morum conformitas arcto illos amicitiae vinculo copulaverat: scientias et linguas iuxta cum Eduardo percalluisse dicitur, Graecarum vero et Latinarum literarum peritia longe illum superasse. Elmerus post mortem deinde Mariae Londinen sis Episcopus, rerum et linguarum cognitione teneram eius mentem informavit. Quanto autem studio philosophiae operam dederit, binc patet, quod suds aliquando coelo, totaque eius familia in saltu aedibus vicino venationi dedita, cum ipsa in conclavi suo remansisset, et Phaedonem Platonis avide perlegeret ingressus-

gressusque ad illam Elisabethae Principis Praeceptor, rogaret,  
quid ita solam abderet, cur non una cum reliquis venando  
se oblectaret? ecce hunc, respondit illa, apertum Platonis li-  
brum monstrans, qui soliditudinem meam excusabit, et cui uni-  
ce sum dedita; longe suaviorem voluptatem capio ex huius  
Philosophi lectione, quam inter rauoscanum et cornuum stre-  
pitus. Mortuo Eduardo, ope societ et patris, ipsa tamen in-  
uita, Angliae Regina declarata atque etiam coronata est, sed  
paucis interieatis diebus, cum uix decem regnasset dies, car-  
ceri tradita et capite truncata est, una cum Marito anno  
scilicet C. 1554. Vid. *Sikius et Neocorus* l. c. p. 209. et  
210. pluribus.

*Martham MARCHINAM*, uirginem *Neopolita-*  
*nam*, hoc ut referam loco, diuina prorsus ingenii eius uis,  
efficit. Infans enim talem fibi iam comparauerat eruditio-  
nem, ut Graecam, Latinam, et Hebraeam linguam egregie  
calleret. Ita de ea, *Janus Victor Roscius*, Pinacoth.  
III. num. LXXV. p. 298: *Tria profecto actas haec nostra videntur,*  
*nova, admirabilia, et quae omnem fere fidem excedant;* ad  
*quae credenda, nisi ea oculis accepissim, mea nunquam duce-*  
*retrum assensio.* Primum, *Martham Marchinam*, virginem  
*Neapolitanam*, sed etiam tum infantem, Romam in Paren-  
tum sive delatam. Haec a nemine, nisi fortasse divinitus  
edocta, egregie, Graecam, Latinam et Hebraicam linguam  
noverat; tum philosophicis theologicis, ac liberalibus omnibus  
disciplinis, non leviter erat sed literate perita; deinde epi-  
grammata Graeca, sed Latina in primis, eleganter argute-  
que conclusa, fundebat ex tempore. Cuius elegantis ingenii  
formam inter illustrium Virorum imagines, qui mea aetate

A 3

florue-

*floruerunt, obieruntque, referre non distuli.* Addam, ut de ingenio eius constet, epigramma, quod de Pastore et Iusto fratribus, proiectis tabellis ad mortem properantibus, et genuum uestigia lapidi impressa relinquentibus, composuit.

*Digna Deo siboles, coeli duo sidera, fratres,*

*Dant gemini dirae membra tenella neci.*

*His violenta manus caput abscidit: horrida cautes*

*Excepit molli corpora trunca sinu.*

*Obstupuit natura parens dum (flebile visu!)*

*Molleſcunt lapides, faxea corda rigent.*

Obiit anno aetat. sexto supra uicesimum, A.C. 1646. d. 9. April.

*Anna, Philippi MELANCHTHONIS, Viri quidem sumimi, et communis Germaniae Praeceptoris, filia quae adeo mature in literis profecit, ut quarto decimo aetatis anno, Latinam linguam optime calleret. Ea ipsa aetate nuptum collocata fuit Georgio Sabino, Poetae incomparabili, A. nimirum 1536, die sexto Nouembris, quibus de nuptiis ita canit Sabinus ipse:*

*Sexta pruinoſi cum lux erat acta Nouembris,*

*Dulcia percipiens gaudia nocte tuli.*

*Tunc mibi, despondit quam pronuba Iuno puellam*

*Legitimo functus munere, iunxit Hymen.*

Vixit cum ea annis undecim, nulla re, ut uerba sunt *Melch.*

*Adami Vitt. German. Philos. p. 287. dirumpente consuetudinis amorisque vincula.* Tandem, ut fata sunt mortalium, mortem cum uita permutauit, A. 1547, d. 4 Calend. Martii, apud Regium Montem in Borussia.

Nunc ordo me deducit ad eruditissimam *Olympiam Fuluiam MORATAM, Ferrariensem.* Eius ut hoc loco

loco mentionem iniiciam, eruditio facit singularis, qua etiam supra sexum excellebat. Romanam ita perdidicerat linguam, ut, puella, publicas pro rostris haberet declamationes, et Ciceronis Paradoxa explicaret. Graecas sibi tam familiares reddiderat literas, ut, Graece, quicquid ueller, exakte proloqueretur. An. aet. 29. publicas in Graeca Heidelbergensis Academiae cathedra instituit recitationes. Prostant Opera eius Basil. 1562 et 1580. 8vo. edita, curante *Coelio Secundo Curione*. Nec literis illa solum, sed pietate etiam, probisque moribus instruta fuit, unde in ipso mortis agone, sancta, constans, fortissimique animi fuit. Fatetur maritus eius, *Andr. Grunthlerus*, se uixisse quidem cum ea non totum quinquennium, ceterum neque animum magis sincerum et candidum, neque mores probiores fanatoresque, se uidisse unquam. Epitaphium ipsi positum ita se habet:

OLYMPIAE FVLVIAE MORATAE  
FORMA QVONDAM MVLIERI  
INGENIO HOMINE MAIORI  
ANIMO QVO SOLO CHRISTVM  
CAPERET SPERNERET MVNDVM  
TOTVM BASIL. JOAN. HEROLD.  
CIVI COELESTI. P.  
Vixit annos XXIX  
Vicit M. D. LV. mense Octobri  
Triumphat aeternum.

*Moratae huic Julianam MORELLAM, Barcinoensem Hispanam, iungimus, mulierem pereruditam. Haec, aetatis sue anno 12, Capuccinorum uestitu indu-*

induta, publice theses philosophicas defendit, quas *Margaritae Austriacae*, Hisp. Reginae, inscripsit. Graecam, Latinam et Hebraicam tenuit linguam. Philosophiae, ut et Iurisprudentiae, studium tractauit, Musicis etiam instrumentis cecinit, adeo quidem, ut *Henr. Kornmannus*, Lugduni ad confluentes Sequanae ac Rhodani eam uidens, obstupuerit eius doctrinam. Vid, hac de *Morella, Vossius, L. de Philologia*, p. 82.

*Anna PALANTIA*, commemoranda iam uenit. Iuuat autem ea recensere, quae Excell. *Paschius* de illa refert, in *Gynecaeo docto p. 51.* *Anna Palantia*, tam praeocoris ingenii uirgo, ut ab ea duodecennali Posthius carmine extemporaliter vicit fuerit. *Paulus Melissus*, Poetarum Monarcha, Palantium suo amore dignam hoc acrosticho fecit :

Amo Te, et debinc amabo  
Nisi me vetes amare  
Nisi te sinas amari  
Angor, et non angeris.

Paries meis medullis  
Animoque quantum acerbi!  
Licit ergo des medullis  
Animoque acerba, amara.  
Neque tu sinas amari:  
Tandem haud, puto, vetabis,  
Ita, quin, amica, dicam:  
Amo Te et debinc amabo.

*Gabrielis Corola PATINA, Parisiensis*, Viri summi, *Caroli Patini*, filia, tanto praedita fuit ingenio, ut publice Panegyricum, pro rostris Academiae Recuperatorum, Patauiae, in laudem Ludouici XIV, Galliarum Regis,

An. 1685

An. 1685 recitaret. Scripsit et Epistolam de Phoenice in Numismate Imp. Antonini Caracallae expressa, quae Venetiis publici iuris est facta, An. 1683 in 4to. Ut B. etiam L. de ingenii eius poetici mira felicitate iudicium ferre queat, Epigramma adiiciam, quod iuuenis adhuc in Vrbem Veneram confecit:

*Quo sint ingenio Veneti, Gens aspera bello  
Pace potens, alios commemorare iunct.  
Non ego diuitas laudem, non nota Senatus  
Numina, non doctos, Nomina magna, Viros.  
Sed liceat iuueni Musae, iuvenile per annos  
Innumeros, Veneta laudet in Urbe decus.  
Virginea patiare, Maris Dea, voce canetur  
Tot salvus seclis Virginitatis bonos.*

*Anna Maria SCHVRMANNIA, Colonensis,*  
femina fuit tam erudita, ut merito inter superioris seculi orna-  
menta referatur. Primis eam adolescentiae annis literas  
adamasse, uel *Barlaci* testimonio constat, qui, *Heroicor. 1.3.*  
*p.m. 446.* ita de ea canit :

*Scandis Apollineos colles, virguncula.  
Linguam Hebraeam, Chaldaicam, Syram, Arabum, Turcicam,  
Graecam, Latinam, Gallicam, Anglicam, Italicam, Hispani-  
cam, Germanicam, Belgicam et Batauicam nouit, si fas est  
credere commemoranti hoc *Ludonico Jacobo a S.  
Carolo*, in *Biblioth. illustr. Feminar.* Aethiopicam pariter  
linguam calluit, cuius etiam beneficio *Grammaticam* conscri-  
psit *Aethiopicam*, cuius αὐτόγραφον inter *neuṇ्डια* MSS.  
*Summi D. Mayeri* mihi quandam licuit perlustrare.  
Testantur de summa eius eruditione *Opuscula Hebraea, Grae-**

B

ca.

*ca, Latina, Gallica, quae, oratione profa aequa ac numeris  
uincta Lugd. Batavor. form. 8. prodierunt. Ita uero hanc  
celebrat Jacobus Martin, Parisiensis:*

*Gracchorum Matrem fileat Romana vetustas,  
Et taceat Sappho Graecia victa suam.*

*Cedite Romanae, Graecae quoque cedite Musae,  
Nescio, quid Batavo maius in orbe micat.*

*Sibylla SCHVVARTZIA, Christiani Schvvar-  
tii, Consiliarii Prouincialis, et Consulis Gryphisvaldensis,  
filia, tam felicem in poesi uenam nata est, ut, ab anno aeta-  
tis tertio decimo ad annum usque mortis, decimum scil.  
septimum (nata enim est 1621, diem autem supremum obiit  
1638) optimos scriberet uersus. Prodierunt Poemata  
eius postuma, studio M. Sam. Gerlachii, Gedan. 1650.  
form. 4. Iuuat illos hic recensere uersus, quos in amorem  
coecum lusit sequentes :*

Was Liebe liebt / hat keinen Mangel nicht/  
Wiewohl ihm mehr als andern oft gebracht/  
Das was sie liebt / kan ohn Verbrechen leben/  
Doch weil man hier ohn Fehler nichts findet/  
So schlies ich fort : Die Lieb ist sehend blind/  
Sie sieht selbst nicht / und kans Gesichte geben.

Quae de *Caecilia SEBUTIA, Tiburtina Virgine,*  
Vir CL. M. Christian. Funckerus, in Centur. seminaris  
erudit. et scriptis illustrum, ex Bartelocci Bibliotheca magna  
Rabb.

Rabbinica, p. III. fol. 756. b. et 757. a. refert, talia sunt, ut unum-  
quemque in admirationem uel in uitum trahant. Referam  
autem haec iisdem uerbis, quibus Optimus hic Philologus  
p. 69. l. c. uititur.

Non tantum Viri in urbe sunt eruditi in Ebraicis, sed et foe-  
minae aliquot non desunt in lingua sancta bene instructae,  
adeo ut Rabbinicum fastum et superbiam contundere valeant.  
Sane urbanum Romae domicilium habet Tiburtina Virgo be-  
nestissima aeque ac doctissima, nomine Caecilia Sebutia, anno-  
rum circa XVIII. Haec a tenera aetate a Parentibus et  
patruo Canonicu[m] lingua latina apprime imbuta, et in huma-  
nioribus literis exculta adeo proficit, ut ad philosophicas  
scientias et ad Theologica studia transiens, sub magisterio ad-  
modum Rev. P. Job. Antonii de Panormo, Lectoris Jubilati Ord.  
Min. de Observ. Theses philosophicas ac Theologicas publice su-  
stinuerit, et ad obiecta doce[re] et acute cum omnium adstan-  
tium admiratione responderit. Nec linguarum Orientalium  
ignara est, sed praecipuum studium suum adhibuit in addi-  
scendo linguam Ebraeam, quam tam bene et expedite legit  
atque intelligit, ut loca S. Scripturae contra Iudeos inde ex-  
hibita scite ac doce[re] valeat explicare. Itaque glorientur alii,  
se babere Annas Schurmannas, Romae sufficeret, unicam ha-  
bere Sebutiam.

*Aloysa, seu si mauis, Ludouica SIGAEA, Tole-  
tana, femina multo eruditissima, unum supra uicesimum  
uix nata annum, Latinam, Graecam, Hebraeam, plurimasque  
alias calluit linguas, id quod non obscure ex Resendii  
Epistola ad Mariam Principem, constat, quam affert B. Mor-*

*boſius, o πάντα, Polybiſt. l. i. c. VIII. p. 77.*

*Altera Sigaea est, Virgo admirabilis, unam  
Quam natura potens ideo produxit, ut effet.  
Femina, quae maribus vitam opprobrare ſupinans  
Posset, et ignavos magno adfeciffe rubore.  
Nam cum ſeptenae vix dum trieteridis annos  
Computat, indefeffa dies noctesque Latinas  
Volvere non ceſſat chartas, non ceſſat Achaeas  
Moſeaque et Solymos rimatur ſedula Vates,  
Quin per Achaemenios scopulos Arabumque ſalebras,  
Currit inoffende, linguarum quinque perita.*

Scripsit haec Epifolas Latinas, Dialogum de differentia vitae rurſicæ et urbanæ, ut et Poetica quaedam. Circumfertur ſub eiusdem nomine *Satyra illa Sotadica*, liber certe ſpurcifimus et oculis ac lectione bonorum omnium indignus, ut CL. Mollero in Homonymoscop. Hiftor. Philolog. Critica p. 35. reftiſime audit. Tribuitur uerſio huius libri *Ioanni Meurſio*, iure tamen nullo. Exploratum eſt enim, pefimum hunc et flammis dignum foetum, a D. Io. VVestrene, ICto Hagiensi, profectum eſſe, qui malitia execranda plane, *Sigaeac* iſtum noſtræ tribuit. *Vid. Molleruſ, l.c.* Quapropter iniuriam huic castiſſimæ mulieri inferunt, qui infame hoc ſcriptum illi tribuunt, cum conſet, illam praecipua castitatis laude omnibus innotuisse. Nupsit *Alphonſo a Cuenas*, et immatura morte decessit.

*Hypolyta TAVRELLA, Mantuana*, quantos habuerit in literis progressus, uel ex unica eius epiftola ad

Balba-

*Balthasarem Castalionem*, maritum, apud Leonem  
X, oratorem, liquet, quam *Colomesius*, Opusculis suis  
p. 79. inferuit, cuiusque initium hic subiungemus:

*Hippolyta eupartem iam dicit Castilioni,*

*Addideram imprudens, hei mibi, pene suo.*

*Te tua Roma tenet, mibi quam narrare solebas*

*Vnam delicias esse hominum atque Deum.*

*Hoc quoque nunc maior, quod magno est aucta Leone*

*Iam bene pacati qui imperium orbis habet. etc. etc.*

Epitaphium eius idem ille *Colomesius* exhibet tale.

#### EPITAPHIVM

HIPPOLYTAE TAVRELLAE

uxori dulcissimae, quae in ambiguo

reliquit, utrum pulchrior

an castior fuerit,

primos iuuentae annos uix ingressae.

BALTHASAR CASTILIONIVS

incredibiliter morens. P.

A. M. D. XXV.

*Damisella TRIVVLCIA, Mediolanensis Virgo,*  
eo praedita fuit ingenii acumine, ut 14 aetatis anno iam no-  
uum in terris prodigium uideretur. Latinis literis ita erat  
imbuta, ut scribere et loqui, quicquid uellet, posset. Tam  
felici etiam erat memoria, ut si quem uel publice declaman-  
tem, uel differentem audiisset, reuerfa domum, omnia prope-

ac singula uerba referre posset. Ita *Textor* de ea:

*Quid facis in terris Damisella Trivulcia? coelum?*

*Ingeniis debet talibus esse domus.*

B 3

[At]

*At scio quid facias, flores cum coniuge Ditis  
Non legis, ad Stygios ut rapiare lacus.  
Cura tua est virtus, et iter meditaris ad astra  
Nam virtus comites collit ad astra sua.*

VIGNERIA (sive *de la VIGNE*) Virgo eruditissima, prima statim aetate optimos scripsit uersus. Publicauit *Pelissonius* eius *Odam*, quam in honorem Regis Gallicarum conscripsit, et eam, qua *Scuderiae*, virginis quoque eruditissimae laudes celebrauit. Iuuat ea referre, quae Clarissimus *Eckardus* in Monathl. Auszug. An. 1700. p. 17. ex *de Vigneul-Marville*, *Melanges d'Histoire et de Literature*, refert: Sie hat von ihrer Kindheit an die nettesten Verse von der Welt gemacht. M. Pelisson hat eine vortreffliche Ode von ihr drucken lassen welche sie auf ihres Königes Ruhm versetzt. Man soll auch von ihr Lieder von gleicher Art und andere Werke haben. Ihres Bruders Verstand hat sich nicht weit erstrecket daher ihr Vater in Scherz zu sagen pflegten: Er hätte an seines Sohnes statt einer Tochter und an seiner Tochter statt einen Sohn zu wege gebracht. Sie hat vom Studiren den Stein bekommen und ist daran in ihrer besten Jugend gestorben.

Iam de *Cornelia*, *Gerardi Ioannis VOSSII*, filia quaedam nobis sunt dicenda. Haec a pueritia literis imbuta, adeo mature profecit in iis, ut annorum duodeviginti, Latinam, Gallicam, Hispanicam et Italicam probe intelligeret. Ita Pater ipse ad *Ioan. Meursum*, Epistol. 319. p. 339. A. 1638., die 5 Kal. Febr. ipsa Gerardi filii mei natali, amissi suavissimam maiorem natu filiam Corneliam, virginem ea pietate, moribus illis, ac rei domesticae intelligentia, curaque illa, ut de Latina raceam, Gallicae, Hispanicae, Italicaeque linguae peritia, illa notitia, tum omnis generis Musices, tum calambo et penicillo pingendi, ut tot bonis, boni Numinis gratia, concurrentibus, omnibus fuerit admirationi.

Perit

Perit autem illa, miserrimo fato, cum nimirum inclytam Leidam Amstelodamo cum traha ueheretur, aquis hiberno frigore concretis fidem frangentibus, miserrime illis est submersa.

*Elisabetha Ioanna VVESTONIA, Angla, Virgo*  
fuit erudita plurimumque linguarum bene perita. Primis statim annis literis se dedit, illisque postea sic inclaruit, ut *Iosephus Iustus Scaliger*, aliique longe doctissimi Viri literas ad ipsam darent. In primis autem uersibus scribendis innotuit, in quibus componendis tanta felicitate praedita fuit, ut etiam Poetica Laurea a *Melisso* sit decorata. De *Aula* quidem et *Aulico* sic canit:

*Aula vale, semper magnis amplissima verbis,  
Inque fide semper labilis, Aula vale.  
Qui te settatur servitque fideliter, illum  
Spe pulchra, ad tempus quo tibi profit, alio.  
At posquam ingratis queritur periisse labores  
Enervem ride, emeritumque fugas.  
Nunquam fraude cares, nunquam tibi iurgia desunt:  
Semper suspicio, semper adeisque metus.  
Splendida paupertas comes est tibi: fictio vultus  
Cognita quae noceat pluribus esse, regit.  
Mimus, Adulator, Leno, Mercator, Apela  
Cum grege scortorum te sine fruge colant.  
Ergo vale: expertus fugio tua limina: vivam  
Contentus patriis finibus: Aula vale.*

Prōdierunt eius *Epistolae et Carmina*, tribus comprehensa libris, et nomine *Parthenicon*, insignta, *Pragae*, in gvo.

Pauca haec in medium proferre exempla *Feminarum* prima aetate eruditione scriptisque illustrium, chartae pariter atque temporis angustia permisit. Obsignamus igitur nostram Dissertationem, ac B. L. obtestamur, ut ea quae perperam positata sunt, beneule interpretetur, haud immemor, antiqui illius:

*Homines sumus humani nihil a nobis alienum pateremus.*

QH77n 7021

X3034722

THESES QVAEDAM MISCELLANAEAE.

**A**πάρθενος restit eleganterque *Maria a Patribus* appellatur, cuius partus tamen, rationi quidem et naturae, sed absolutae DEI potentiae minime refugatur. Videl omnino Summe Reuerendi Bremensium Theologi, *Gerardi MEIERI*, Praeceptoris mei, studiorumque amplificatoris, nunquam non a me, sed satis nunquam, dilaudandi, *Rationales de Virginis partu cogitationes*, p. 14.

**P**aulus etsi Romae uersatus, et postea ibi custodia asseruatus, ac extra Vrbem ad Aquas Saluias supplicio affectus est, tamen in Amphitheatro Romano, cum bestiis non pugnauit. Eiusdem locum *Cor. XI, 10.* Διὰ τὸ ὅφελος ἡ γυνὴ ἐξστατὰς ἐπὶ τῆς κυφαλῆς, διὰ τῆς ἀγγέλως, integrum atque incorruptum esse contra *Iordanem*. Clericum in animaduersione ad *Hammondi* Nouum Testamentum, afferimus, nec διὰ τῆς ἀγγέλως, pro διὰ τῆς ἀγγέλως ponendum esse arbitramur.

Quae literarum monumenta de *Ioanna* referunt *Papissa*, uere posse contra Pontificios affirmari, contendimus.

Ignorantia, quemadmodum plurimorum apud Pontificios malorum auctor fuit, ita praecipue Sanctas illas effinxit chimaericas, *Vndecim mille Virgines martyres*. Nam Martyrologia MSS. quae aniam huic dederunt fabulae, haec referunt uerba: SANCTAE VRSVLA ET VNDECIMILLA VIRGINES MARTYRES. *Vid. Valestiana* p. 48-49.

*Veronicae* non mulieris sed imaginis est uocabulum, atque idem est, quod *nera icon* sive *iconia*. *Vid. Mabillon. Uiner. Ital.* p. 88.

T A N T V M .

QK 522, 14.

ACADEMIA  
SERENISS.  
FRIDER.

FEMINIS. I  
ERVDITIC  
ILLVS.

POSTERIOREM. I

M. DAVI

IOANNES. I

ANNO. cI 1

VITEMBERG



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Centimetres  
Inches

Farbkarte #13

II n  
7024

(2)